



Kern 3497  
(1 - 19)

554

(81)

SPECIMEN  
INAUGURALE MEDICVM  
DE  
MARASMO SENILI,

---

QVOD  
CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE  
HALENSIS,  
VT  
GRADUM DOCTORIS MEDICI  
LEGITIME ADIPISCATVR,  
PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO, PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE PRORECTORE,  
PHILIPPO FRIDERICO MECKEL,  
REG. BORVSS. A CONSIL. INTIM., MEDIC. DOCT.,  
PROFESS. PVBLICO ORDINARIO ET INSTIT. CLINIC.  
CHIRVRG. DIRECT.

DIE XX. OCT. MDCCC.

PVBlice DEFENDET  
AVCTOR  
JOANNES FRANCISCVS MÜLLER  
ZOBINA SILESIVS,  
SOCIET. SYDENHAM. SOCIVS.

---

HALAE  
TYPIS FRIDR. DANIEL. FRANKII.

IN ACADEMIA MEDICINA  
SPECIMEN  
DE  
MARASMO SENILIS

GRADUM DOCTORIS MEDICI  
HALLENSIS  
CONSENSU FACULTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

VIRO MAGNifico, TERRIVSIO, EXCELLENtissimo  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE PROTECTORE  
PHILIPPO FRIDERICO MECKEL  
REG. BORV. A CONSIL. INTIM. MEDIC. DOCT.  
PROFESS. PUBLICO ORDINARIO ET INSPECT. CLINIC.  
LITHVANO TORRETO.

Die 24. Oct. MDCC.  
LIVICE DEFENDET  
AUCTOR  
JOHANNES FRANTZOSUS MÜLLER  
ROBINA EPISTOLA  
SOCIET. EVANGELICAE BOIC.

HALLAE  
LITHVANO TORRETO



V I R O I L L V S T R I

EXCELLENTISSIMO

ATQVE

EXPERIENTISSIMO,

IOANNI GODOFREDO  
MORGENBESSER,

PHILOSOPH. ET MED. DOCT., REGII COLLEG. MED. ET  
SANIT. DEC. PERPET., ANAT. ET ART. OBST. PROF.  
PUBLIC. ORDIN., CIVIT. WRATISL. PHYSIC. PRIM. MILIT.  
PRAESIDIAR. MED. SOCIET. OECON. ET PATRIOT. SILES.  
ET SOCIET. SYDENH. SODAL.

P R A E C E P T O R I S V O

AETERNVM PIE DEVENERANDO

S A C R V M.

V E R O F F E N B A R T

E R S C H I N E N D E

1784

I N H A N N E S B A D E N

JOHANNI GODOFRIDO

MORGNERSSER

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

P R A E F A T I O N

ATTENTION DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA VILLE



I.

**N**on modo idoneum, sed necessarium mihi etiam videtur, de vita, et morte plura praemittere, priusquam ad ipsum adfectum, vitae terminum senescentis, transeamus. Etenim et nostris temporibus summo studio haec omnia agitantur, et intelligi nequit ipse excessus e vita, qui in hoc adfectu contingit, nisi generatim ea moneantur, quae vitae mortisque notionibus lucem adferre valent.

2.

In hoc autem disputationis genere plures oportet enumerare opiniones recentiorum auctorum, quarum quisque sua commenta verissima habet, nonnulli etiam velut e tripode oracula prodere gestiunt. Opiniosissimi ejusmodi homines longe abesse mihi a vera artis nostrae ratione videntur, quippe quae occultis rebus incertisque, quae sola ratio ostendat, adsentiri vetat. Haec autem aliquorum hominum commenta equidem levi tantummodo penicillo adumbrabo, ut ineam potius, ex optimis praeceptoribus aliisque auctoribus haustam opinionem argumentis idoneis suffultam proferam. Verecunde autem et modeste de aliorum, eorumque celebratissimorum, virorum opinionibus loqui

qui, tironis est, in vestibulo sacrarii artis suae etiam-  
num morantis,

3.

V i r a.

Vita frui ea dicuntur corpora, quorum mutatio-  
nes aliaque phaenomena internis potius ac fere innatis  
produci videntur facultatibus, quaeque, licet mixtio  
partium destructionem facile parere posset, destructio-  
ni tamen diu resistunt.

Haec quidem definitio duas, easque praecipuas  
involvit vitae conditiones, causam nempe internam  
omnium mutationum, quae in corpore contingunt, et  
integritatem mixtionis, licet summa adsit proclivitas  
ejusdem ad corruptionem.

4.

Primo itaque loco nostrum est, internam causam  
declarare quam in vivis corporibus omnibus statuimus.  
Internam eam autem accipimus, quoties cum ipsa partium  
structura intime ac individuo modo cohaeret. Causa actionum  
et mutationum, quae in vivis corporibus accidunt, in ipsa  
partium structura a nobis quaeritur. Haec autem conformatio  
partium intima constans sibi fere ac perpetua esse solet, cellularis  
in plantis, vasculosa in animalibus. Partibus eo modo  
structis inhaeret vis quaedam interna, quam *ir-  
ritabilitatem, incitabilitatem* aut *vim vitae* nuncupare  
pos-



possimus. Perinde enim est, siue hoc siue illo utamur vocabulo, modo in in re ipsa conveniamus. Eam vim toties fratuimus, quoties mutationes ac actus in corporibus animadvertimus, quae e sola cohaerentia aut aliis mortuorum corporum facultatibus exponi nequeunt. Adscensus fluidorum in plantas, secretio humorum peculiarium, motus insignes, quos in plantis et animalibus observamus, nullo quidem modo vel e gravitate vel ex cohaerentia vel e chemicis adfinitatibus explicari possunt. Hinc ad vim vitae, toto caelo diversam a viribus materiei mortuae, refugere necessarium est.

Mortuorum autem corporum mutationes et actus externis causis et impulsu externo tantummodo exponi possunt. Lapides et terrae nullo modo mutantur, nisi externa causa in ea corpora agat, tum autem vicissitudines oriuntur e sola materiei mortuae diversa mixtione exponendae.

Quae differentia licet plurimis accepta sit, dubia tamen sit ac circumscripta, si ad varios sales atque ad vegetabilia imperfecta consilium transferimus. Mucos, fungi, aliaeque id genus plantae imperfectae, quomodo discernuntur a salinis concrementis, a crystallis in aqua salina efflorescentibus? Efflorescunt fungi, mucos autumnino atque ubique, dum humor abundat et putredo vicina est; efflorescunt salinae crystalli, dum latices salibus impregnati quieti traduntur. Internam quoque negare nequimus causam

fam, cur salia in crystallos regulares abeant. Inde vero aliud efficere non audeo, nisi transitum adesse a regno vivo et organico ad regnum mortuum et anorganicum, qui praesertim in plantis imperfectis atque crystallis salinis animadvertitur, sicut et zoophyta medium constituunt terminum inter animale et vegetabile regnum.

## 5.

Secunda vero conditio vitae est integritas mixtionis, ad corruptionem vel maxime proclivis. Haec autem integritas servatur activis perpetuo viribus, quae excernunt quidquid impedire integritatem aut corrumpere humores posset. Tum in vegetabilibus, tum in animalibus adsunt organa depuratoria, quorum ope peregrina quaeque arcentur ac eliminantur; adsunt organa praeparatoria et secretoria, quae crudos humores ac alienos ita miscent et praeparant, ut naturae corporis organici accommodati sint. Hinc fit, ut nulla planta, nullum animal earum rerum, quibus ambitur, indolem penitus adsumat, ut partes compositae humorum ambeuntium et nutrimentorum nunquam in ipsis plantis aut animalibus reperiantur: sed vi ac facultate interna omnia mutantur inque simplices abeunt et remotissimas naturae particulas, quae iterum redeunt in universum, perpetuo revertentes.

Quisquis enim humorum animalium et vegetabilium mixtionem et indolem attente considerat, is  
certe

certe mirabitur, quanta in omnibus praedominetur propensio ad summam corruptionem, quae certissime etiam promptissimeque contingeret, ni activae continuo essent vires ad arcendam eam et ad servandam integritatem.

In hoc vero etiam capite adest transitus quidam memorabilis ex organico in anorganicum regnum. Namque ipsae, quas citavi, plantae imperfectae et fungi celerius ceteris vegetabilibus solent in putredinem abire, quod iis viribus non pollent, quibus cetera praedita sunt. Lichenes quoque varii alieni sunt a reliquis vegetabilibus quod mixtionem attinet, humores enim eorum haud adeo proclives ad corruptionem videntur; hinc prope absunt ab anorganico regno.

## 6.

*Brownius*, et qui eum sequuntur, vim insitam quam incitabilitatem dicunt, non ubique a structura pendere, neque semper cum structurae integritate integram esse arbitrantur. Loquuntur enim de hac vi, velut de passiva quadam facultate, quae externarum rerum conflictu cum corporibus organicis demum activa fiat. Quod quamquam negari nequeat, minime tamen cum veritate congruit, illaesa penitus structura posse vires penitus tolli ac mortem contingere. Male quidem *Brownii* sectatores in tam gravi re ad levidentia refugiunt argumenta, quae e mortibus petunt subitaneis, post quas nullam difsector potuerit invenire memo-

morabilem laesionem. Male quidem, inquam! Etenim de formae laesione solummodo loquuntur, cum ad materiei ipsius, et ad intimae structurae vitia respicere debuissent. Hanc autem laesam esse, quis dubitabit, qui post febres putridas saepius cadavera sanis hominibus similia observaverit! Hinc itaque vita eatenus tantum inevitabilitate nititur, quatenus haec cum structura interna intime cohaeret.

7.

## M o r s.

Ex vitae definitione mortis definitio fluit. Quodsi enim vita nititur activitate facultatis structurae internae inhaerentis, mors erit status corporis, ubi ea vis cum mutata omnino interna mixtione et structura, cessavit ac penitus sublata est. Hinc patet, partiales existere mortes, quibus extrema saepius in gangraena adficiuntur: hinc etiam, unam tantummodo eandemque esse mortem, sed varios ejus modos. Etenim, si vitae vires una plures haud accipiamus in corpore, ea penitus sublata, una mors quoque continget. Si vero variae partes ad vitam necessariae sunt, varioque modo morbose adfici possunt, varia etiam ratione vis vitae vel sustaminari vel penitus tolli debet.

8.

Quum vero ad propiores mortis causas respicimus, haec videntur reduci posse vel ad suppressionem vel ad exhaustionem virium, partibus solidis inhaerentium.

tium. Mors ex animalium venenatorum morfu, e contagis putridis, e variis venenis, ab humorum summa profusione, e structurae partium nobilium lenta degeneratione, dum praesertim in ossa vertuntur solidae partes, huc trahi potest, cum virium exhaustio- nem sequatur. Ea vero mors, quae sequitur adfectus vehementissimos, terrorem validissimum, fulminis ic- tum, sanguinis subitaneas versus caput congestiones, suppressas potius accusat partium vires. Tertia denique species mortis neutri praecedentium adnumerari certe potest; sequitur enim maxime destructionem partium plerumque subitaneam, qua fit, ut dici vix possit, viresne potius exhaustae sint an suppressae. Quodsi enim tota pars nobilissima aufertur, contundi- tur aut alio modo vehementissimo laeditur, fieri ne- quit quin mors contingat, licet nec exhaustas, nec sup- pressas adesse vires fatendum sit.

Quae ultima causa quamvis plerumque sub'fen- sus cadat, priores duae causae haudquaquam in quovis mortis casu discerni possunt. Nec negligendum est, mortem, cum non in unica parte tota vis vitae haerere possit, nonnisi pluribus simul partibus violatis accidere posse. Videmus enim non semel, et cor et cerebrum et pulmones et stomachum adeo laesum fuisse ac fere destructum in hominibus, qui satis diu cum iis laesio- nibus viscerum adeo nobilium vixerint. Quoties enim vidimus hydrocephalicos plures per annos vita frui! Quoties observavimus homines vivere, qui destructos jam diu pulmones habuisse post mortem ostendebant!

Quod

Quid quod *Senacus* refert, mulierem quamdam per viginti et quod excurrit annos fere sine corde vixisse, quum id ulceribus destructum esset.

## 9.

Mortis et vitae diagnosis difficillima est. Vires enim vitae omnino superesse possunt citra ullam effectum. Quodsi itaque solis effectibus vis vitalis, motu et sensu, dijudicare statum vivum vellemus aut mortuum, vivi multi mortui videbuntur, cum sensus et motus ad tempus sufflaminati sunt, cum pulsus et respiratio cessarunt, corpus rigidum est, maxilla inferior depressa, oculi fracti et pulverulenti sunt. Nihil est, quod moneam, quantum temporis asphyxia cum respiratione suppressa persistere possit. In memoriam lectorum tantummodo revoco memorabilem *Ramazzini* observationem in juvene quodam institutam, qui pulsa et urinae effluvio jam suppresso, totoque corpore algente, ad quatuor adhuc dies eo robore vixit, ut ipso eo, quo e vita decederet, tempore, e lecto surgens suas induerit vestes. Omnibus notum est, rigiditatem saepius deesse in cadaveribus, quae post rachitidem, febres putridas et fulminis ictum flaccida potius esse solent. Maxillae inferioris paralysis in apoplexia saepissime contingit, periculoso quidem omine, sed evadere tamen nonnunquam aegri solent. Oculi quoque fracti et pulverulenti tum in syncope, tum in periculis variis morbis esse consueverunt, neque desunt observationes, quod ejusmodi aegri servati demum fuerint.

## 10.

Equidem arbitror, certam diagnofin mortis pe-  
tendam effe folummodo a duabus potiffimum rebus, pri-  
mum quidem e morbi praegreffu aut cauffae praecedentis  
indole, deinde vero ex odore cadaverofu. Quodfi  
enim vires tamdiu magis magisque labefactae, totus  
habitus depravatus, pulfus indie minor evaferit, tan-  
dem vero graviffimus morbus fyncope valida graviffi-  
maque terminari videatur, veri omnino fimillimum  
eft, eam fynopen in ipfam mortem fine mora abitu-  
ram effe. Quodfi vero nec gravis morbus praecerit,  
et fpafmici adfectus, aut vehementes congestiones hu-  
morum partes nobiles petiverint, in plethorico prae-  
primis homine, fpecs eft, fore ut mortis fimilis ille ftat-  
us tranfeat: quod in hystericis et plethoricis multoties  
obfervatum eft.

Odor cadaverofus quidem folus nihil decernere de  
certitudine mortis potest. Etenim eum odorem non-  
nunquam in febribus putridis et dyfenteriiis malignis  
plures ante mortem dies obfervamus, ut inde vel fri-  
gum canumque ululationes, fuperftitioni mortis prae-  
nuncias, exponere poffimus. Nonnunquam etiam ca-  
davera nullo modo in putredinem abire, fed diutius  
integra manere obfervatum eft.

## 11.

*Transitus vitae in mortem.*

Necessitatem mortis a priftinis inde temporibus  
quotidiana experientia docuit. Vario vero modo ex-  
plica-

plicatam eandem invenimus. Veteres Aegyptii ab anno quinquagesimo, duas uncias, quibus cordis substantia singulis annis aucta sit, iterum detrahi et mortem cordis defectu evenire, autumabant; *Pythagoram* mortis necessitatem in cessatione ignis infiti quaesivisse tradunt <sup>2)</sup>, *Alemaconem* autem in accumulatione sanguinis versus encephalum <sup>3)</sup>. *Hippocrates*, auctor artis nostrae, cum *Pythagora* sensit, dum et nutritionem ab aucto calore infito et decrementum corporis ab imminuto eodem calore derivaret <sup>4)</sup>. Cum autem *Platonis* doctrina calori infito pneuma seu spiritum infitum substitueret, hujus etiam spiritus remissione et suppressione mortem posse declarari statutum est <sup>5)</sup>.

Nuperiorum autem auctorum plerique ad rigiditatem partium necessario indies adauctam et ad terream indolem partium solidarum respexerunt, ut vetus illud dictum confirmarent: *Terra es, et terra fies, e qua ortus es*. Neque tamen negandum est, alios dari praeter rigiditatem senilem, modos, quibus necessitas moriendi, et absque praegresso morbo, effici possit. Fluidis enim partibus nostris insunt eae particulae, quae vicissitudines multifarias ab externis rebus pati possunt:

1) Plin. hist. nat. XI. 37.

2) *Sprengel* Gesch. der Arzneyk, Th. I. S. 299. ed secunda.

3) Ib. p. 350.

4) Ib. p. 388.

5) Ib. p. 449.



sunt: solidae etiam partes irritabiles a quibusvis stimulis insigniter, imo ita mutari possunt, ut denique penitus pessumdetur earum vis, ac diuturna exercitatione exhauriatur. Neque ad cohaerentiam insigniter auctam refugere oportet, ut hanc necessitatem moriendi exponamus, quum ipsae incitabilitatis leges hoc evincant.

## 12.

*Bronnius* non male hanc mortis necessitatem e sua incitabilitatis notione derivat. Quum enim haec vis semper in ratione inversa ad potentias incitantes sit, prima aetate, ubi defunt stimuli, maxima erit et in insigni vigore: prout vero actio potentiarum increfcit, decrefcit vis, donec denique penitus exhauriatur.

Probabilis est haec expositio, neque tamen perfecta. Etenim incitabilitas, seu vis vitalis, cum structis partibus inhaereat, mutata, ac adfecta semper supponit structuram partium alienatam. Hinc itaque praeter rigiditatem, ossificationemque ad nutritionis defectum et ad lymphaticorum vasorum actionem haud mutatam consilium transferre debemus, ut structuram partium depravatam, indeque imminutam et denique penitus exhaustam vitalem vim explicemus.

## 13.

Ratio quaedam et proportio continua est inter nutritionem et secretionem humorum nutrientium et eorum

rum absorbtionem. Ultima autem haec actio faepius impeditur secretionē adaucta: increfcit, vel faltem illaefa fupereft, hac impedita. Illud videmus plerumque in hydropibus aliisque morbis, qui a colluviē feri, lymphae aut adipis oriuntur. Hoc vero, nempe fuperfitem absorbtionem, laefa secretionē, obfervamus praeprimis in fenili corpore.

Oſſa enim fenum, perdita materie oſſea et gelatina, fragilia evadunt, et leviora, ut fere quartam ponderis partem amittant et fuper aquam natent<sup>6)</sup>. Diploë quoque oſſium cranii ob eandem cauſſam evaneſcere folet, et cartilagineſ fiunt denſiores, minus elafticae et tenuiores. Quin ipſa oſſa tenuiora fieri et graciliora, fatiſ vulgaris eſt obſervatio, quam praefertim in maxilla inferiore confirmare poſſumus, cujus diameter valde decreſcere in ſenibus folet. Hinc fit, ut totius corporiſ ſtatura multum amittat, atque contrahi ſilicernia videantur.

Ex eodem fonte ancyloſes exponi poſſunt, in ſenibus fatiſ frequentes, quae nutritionem labefactatam, ſynoviae secretionem imminutam et rigiditatem ligamentorum auctam ſupponunt. Hinc etiam muſculorum maior rigiditas et durior indoles; namque tela cellulari et adipofa privantur, fibraeque propius ad ſe invicem accedunt.

14.

<sup>6)</sup> Soemmeringſ: Knochenlehre S. 45.

Non difficulter ex eadem caussa alias mutationes aliarum partium, quas senectus parit, exponere possumus. Pilorum canities et defluxus; cutis rugosa et furfuracea indoles omnino nutritionis defectum aut imminutum adfluxum humorum nutrientium accusant.

Oculorum adspectus mutatur, cornea pallidiore, rugosiore, planiore, unde presbyopia declaranda est. Humor aqueus spissior fit et flavum colorem adipiscitur: lens crystallina plerumque durior evadit, flavicunda et opaca; ut cataractam senilem inde facile exponere possimus.

Membrana tympani ossea fit, ossicula ipsa auditus secum concresecunt; aquula labyrinthi spissecit et caesofam fere indolem acquirit. Vox fit rauca, tremula, debilis, ob ariditatem et rigiditatem chordarum vocalium, seu ligamentorum laryngis. Ita quoque concretiones viscerum thoracicorum et abdominalium frequentissime in senili corpore contingunt.

Ob impeditum denique circulum sanguinis aneurysmata, varices et ipsi polypi circa cor et in magnis vasis observati sunt; quae quidem vitia vel ipsam mortem accelerare possunt.

Cum duritiem et rigiditatem cerebrum et nervi imprimis participant, inde tardiores exponi possunt actiones sensuum et in- et externorum, inde suppressio-

B

nes

nes eorum et stupidus plane status animi omniumque  
ejus virium.

15.

*Marasmi definitio.*

Ex his vero senectutis necessariis effectibus sequitur, nutritionem in decrefcentibus hominibus valde labefactari, quin adeo saepius pessumdari, ut teneritas partium summa ipsaque febris oriri possit. Eum autem statum voco *marasum*, qui itaque sit *consumtio rotius corporis, a senio extremo orta, ac plerumque febre lenta stipata.*

16.

In hac vero definitione plura notanda sunt: Primum autem quivis lector statim animadvertet, me marasum omnino velut morbum aut statum praeter naturam considerare, quam quidem senectus ipsa, cum sequelis necessariis, rigiditate et ipsis concretionibus viscerum et ossium, ad statum naturalem numerari possit, ea autem teneritas ac febrilis adfectio, quam marasum vocamus, haudquaquam necessaria senii sequela putanda sit.

Hinc etiam patet, quicumque senio ipso decedunt, omnes singulosque haudquaquam marasmo eripi. Namque possunt etiam, qui prae occidua senecta tandem moriuntur, rigiditate partium nobiliorum  
le-

letaliter corripitur, possunt apoplexia adfici aliisque id genus passionibus, quae senium facile sequi solent.

17.

Deinde haud aegre decernendum est, iunioresne possint marasmo corripitur? Veteres medici ejusmodi consumptionem vocare solebant *e morbo senectutis*. In ipseque *Swietenius*, ut marasum iuniorum confirmet, vidisse se refert feminam nondum quadragenariam, cui sine ullo vitio sensibili corporis, sine ulla suspitione internae ulcerationis, sine ulla inanitione, intra biennium lento marasmo tam exsuccum redditum fuerat corpus, ut squalida catis ossa tantum tegetet 7).

Nescio autem, cur usum loquendi ita pervertere velimus, ut febris hecticae, marasmi, atrophiae et tabis nullam agnoscamus differentiam. Equidem statuendum arbitror, tabem esse genus, quod omnes marcorum species complectatur, atrophiam autem tabis primam speciem, quae infantes et pueros corripit, *marasum* tabis secundam speciem, senibus solis infestam. *Febris hectica* vero sine aetatis discrimine homines invadit, atque vel cum vel sine ulceratione adest. In ultimo hoc casu vocatur *phthisis nervosa*.

Hinc itaque *phthisis nervosa* nuncupanda est ea marasmi species, quae iuniores corripit, ac decrepitis senibus eos similes reddit. Oritur autem is morbus plerumque a debilitantibus causis, maxime a veteris nimio usu atque a senis abnormi excretionem.

B 2

.18.

7) *Swieten eom.* in *Boerhaav.* vol. I. p. 44.

18. *Marasmi historia.*

Denique observandum est, marasmmum verum fenilem plerumque febre lenta, eaque hectica, esse stipatum, nequaquam tamen negari posse, interdum febris nullum adesse vestigium. Eo itaque modo iudicandum esse puto de lite inter *Galenum* et *Philippum* Caesareensem, quorum hic contenderat cum *Archigene*, in quovis marasmo adesse duos pulsus, quos febris esse constantes comites perhibebat. *Galenus* vero id negavit, quod cum algore corporis et parvis pulsibus marasmmum fenilem animadverterat<sup>8)</sup>. Saepius perfecto febriculam lentam adesse fatemur; deesse tamen potest, sicut nonnunquam in phthisi nervosa deficit, salva indole et salvo nomine morbi.

19.

*Marasmi historia.*

Initia morbi adeo lenta plerumque sunt, ut percipi fere nequeant, nisi postquam per aliquod tempus moratus fuerit. Si febris adiancta est, haec primum sentitur colore post partum genas volasque manuum occupante, cui pulsus duriores, exiliores, frequentiores accedunt. Cutis sudoribus expers, plerumque tensa, arida, rugosa est. Caulor ille adeo fugax est, ut per pauca tantummodo scripula horae moretur, abit autem in algorem constantem, qui maxime et pedes et manus corripit, ut externo fere summo calore fugari nequeat. Redire solet calor noctu, ubi quandoque

<sup>8)</sup> *Galen.* de marasmo p. 95. Cl. III. *Froben.*

que insomnia aut somni saltem perturbationes producit.

Urina solet non multo post ab indole naturali insigniter aberrare. Plerumque enim fit turbida, furfuracea aut oleosa: nonnunquam oleum supernatare videtur, aut cremor superficiem lotii tegit: interdum cuticula obtegit urinam, quae variis coloribus iridis ludit.

Appetitus interea satis vegetus est, imo saepius praeter naturam incitatur, ut vera canina fames accedat. Alvus tanquam sanis, deicitur. Dolores nulli adfunt, nulli sensuum errores, nisi quod nonnunquam ex fenio ipso sensus obfuscentur.

## 20.

Post aliquot septimanas indies morbus increfcit. Incrementum vero inde cognoscitur, quod volumen corporis magis magisque minuat, pili defluant, unguis curventur, musculique gracilefcant. Id in primis in facie et manibus observari potest. Oculi quoque in orbitam retrahuntur aut potius relabuntur, pulverulenti fiunt et cornea fere tenaci muco obducitur. Somnus magis inquietus et turbulentus fit, saepiusque penitus fugatur.

Animi quoque vires jam magis perturbantur et hebescunt. Deliquia animi frequentiora accedunt. Memoria penitus deficit, stupor saepius adeo intellectum

tum obnubilat, ut vel in infantilem statum delabatur vel stipitis ad instar solummodo vegetare videatur.

Nonnunquam tussis arida ac spastica accedit, quae nullum pulmonum vitium peculiare sequitur, sed solam teneritatem nimiam et irritabilitatem,

21.

Ultimum morbi stadium solet alvi fluxibus continuis indicari, quos comitantur exanthemata miliaria, scabiosa in pectore ac extremitatibus oborta. Tum etiam tument manus et pedes, aegerque in somnum profundum delabitur, qui saepius ipsa morte terminari solet.

Nonnunquam ultimus hic sopor algore et rigore ipso iunctus est, qui novam febrem accessisse nunciat. Ea *febris senum soporosa* ad marasimum accedere plerumque solet. Sunt autem ii febris exacerbationes fatis manifestae, quae modo tertianae duplicis instar, jam quotidianae more procedunt, plerumque tamen, quando quotidianam hora invasionis aemulantur, una alternatim altera gravior est.

22.

Febris haec senilis soporosa, quae scenam marasimi claudit, duo praecipua et plane propria signa habet: nimirum soporem apoplecticum, et pulsum, in accessibus frequentissimum, debilem, inaequalem et ob-



obscurissimum, in remissionibus vero aequalem, elatum, non valde frequentem. Quod primum attinet signum, soporem nimirum apoplecticum, aegerrime ille a levi apoplexiae insultu dignosci potest, nisi ad transitoriam ejus naturam et ad remissiones consilium transferamus. In vulgari enim apoplexia haudquaquam periodica haec indoles observatur, neque aegri post insultum adeo facile ad semetipfos redeunt, levantur atque sese recreant, ac in hac letali febre. Letalem voco febrem, namque rarissimi sunt casus, ubi ultra octavum aut nonum diem morata fuerit. Plerumque intra hunc terminum in mortem abit.

23.

Aliud est ultimum symptoma, idque letiferum marasmi, nempe necrosis *sicca* pedum, quae, a summa debilitate orta, irrevocabile exitium adfert. In iis senibus praecipue animadversa est, qui diu arthritide laboraverunt, denique autem in marasimum incident. Oritur in digitis pedum macula livida, atra, sine ullo sensu ejus loci: ad eam maculam accedit tumor emphysematodes aut oedematodes pedis, pustulae prorumpunt aut vesiculae, ipsaque epidermis secedit. Stupor ille aut sensus defectus lente profertur per superiores partes cum ipsa prosequente necrosi: structura partium solvitur, madescent solidae partes et diffuunt in ichorem atrum, foetidissimum, corrosivum, eoque modo sine ullo doloris vel inflammationis vestigio mors partialis in mortem universalem transit.

24.

*Morbi prognosıs.*

Satis dictum est de morbi decursu. Quod vero praefacia attinet, ea plerumque adeo funesta sunt, ut fere nunquam salutarem exitum pollicitari possimus. Extrema enim senectus vires tantopere iamiam pessumdedit, cum hic morbus ortus est, solidae partes hactenus corruptae sunt, ut fere inevitabile fatum sit, simulac marasmus ita accesserit. Verum non desunt casus, ubi, dum ipsa iamiam sese adiunxerat soporosa febris, haud subitaneum exitium sequeretur, sed aeger tantummodo lenta febre, per plures septimanas morante, confumeretur<sup>9)</sup>. Hinc eo modo restitui potest aeger, ut, sublato hoc letifero morbo, per aliquot septimanas etiamnum vitam protrahere possit. Ea spes adhuc magis affulgere videbitur, dum aeger, nondum soporosa febre correptus, ipso adhuc solummodo marasmo adficitur, qui nondum diu perstitit.

Consentit nobiscum illustris de marasmo auctor, *Galenus*; arbitratur enim, marcorem verum penitus fanari non posse, sicut nec lordosis, seu dimotio vertebrarum spinalium in priorem partem perfecte curari possit. Si quis autem putaverit, se hunc morbum curasse, in diagnosi eum deceptum fuisse; namque tabem aliam saepius arte fugari posse<sup>10)</sup>.

25.

<sup>9)</sup> *Burſ* instit. med. pract. vol. I. p. 510.

<sup>10)</sup> L. c. p. 95.

*Epilogismus morbi.*

In epilogismo formando ita progrediendum est, ut prius ad causas remotas respiciamus, e quibus aliquid lucis adsplendet statui interno ipsi enubilando: deinde vero symptomata essentialia ac sueta ad id ratiocinium adiungamus, ut ea oriatur morbi informatio, quae in curando eodem nos conducere possit.

Causae autem remotae hujus adfectus ejusmodi sunt, ut proxime eum nunquam antegrediantur, sed ut plurimum gradatim structuram ita mutant, ut summa oriatur teneritas. Inter primarias autem causas numerandam esse arbitror arthritidem, alioque diuturnos morbos, quibus senex jam per plures annos vexatus fuerit. Hi quidem morbi nutritionem valde debilitant atque tabem per se producere possunt. Id autem eo facilius contingit, quo magis aeger senio jam confectus est. Febres quoque intermittentes, diuturnae ac pertinaces, corpus senile disponunt ad marasimum, cum quotidiana praeprimis vires maxime labefactare ac nutritionem pessumdare soleat.

Praeter morbos praegressos aliae etiam debilitantes causae accusandae sunt. Huc pertinent animi adfectus, qui vires prosterunt; inedia ac parca nimis diseta, labores validi diuque protracti, veneris usus praeposterus, purgantium et sanguinis missionis abusus, quibus rebus senes maximam praebent occasionem, ut in marasimum incidant.

Non-

Nonnunquam tamen harum caussarum nulla ac-  
cusari potest, sed sola diathesis, a junioribus inde an-  
nis oborta, annisque ingravescens, abire potest in eum  
morbum, qui tunc temporis multo gravior erit et pe-  
riculosior, quam dum a caussis remotis praevalentibus  
ortus est.

26.

Ex his vero caussis, ut ex symptomatibus con-  
stantibus epilogsimo efficitur, teneritatem solidarum  
partium a nutritione summe imminuta, esse eum sta-  
tum internum, quo functiones laeduntur, ad quem  
itaque medicus assiduo respicere debet. Neque huic  
ratiocinio adversum est, quod de rigiditate et nimia  
solidarum partium cohaerentia diximus. Etenim ri-  
gidae partes minime omnes simul fiunt, sed saepenu-  
mero externis summe obrigescentibus, interna viscera  
insigni laborant teneritate et debilitate. Quod maxi-  
me e melancholiae historia effici potest, ubi summa te-  
neritas et irritabilitas partium quarundam, aliarum ve-  
ro is adest ob nimiam cohaerentiam torpor, eaque  
inertia, ut nulla vi fere pollere videantur. Deinde  
vero adsunt omnino casus senectutis decrepitae, ubi  
nulla insignis rigiditas accessit, sed nutritio partium  
labefacta solam teneritatem induxit.

Paucis tantummodo moneamus, *Galeni* opinionem  
de siccitate et frigore, velut caussis proximis hujus  
morbi, haudquaquam cum veritate congruere, quum  
explicari potius debeat ortus istius intemperiei, quum-  
que

que frigus ipsum cum febre, quae saepius adjungitur marasmo, consistere nequeat.

Status itaque internus, ad quem nos respicimus in marasmo, cum eo congruit, quem in febre hectica generatim statuimus, nisi quod subjectiva quaedam sit differentia, quae aetatem complectitur.

27.

*Morbi medela.*

Haec quidem apprime consentit cum ea victus institutione, qua senectus immatura praeventitur, consentit etiam cum curatione febris ipsius hecticae. Namque, si ob senium ingravescens morbus maxime augetur, senectus etiam retardanda est, si vero nutritio praesertim imminuta videtur, ea omnia sunt adhibenda, quae partium molem ac structuram servare et restituere possunt. En solas indicationes quas in curando hoc adfectu formare valemus! Iis vero quamvis finem curationis non semper attingamus, satagendum tamen est, ut morbi letalem terminum, quamdiu fieri potest, retardemus.

Hinc omnino is adfectus artem et auxilia medici postulat, praesertim vero initio, ubi nondum vires penitus prostratae ac letalia symptomata adjuncta sunt. Simili plane ratione in hydrocephalo infantum, in rabie canina, in sphacelo ipso vires artis nostrae postulantur, quamlibet ut plurimum perniciem isti adfectus irreparabili modo adferre soleant.

28.

Inter auxilia, quae contra hunc adfectum commendantur, maximam obtinuerunt laudem balnea, quae quidem eo nomine vehementer praedicavit *Galenus*, quod ariditatem tollant, quam cum frigore posuit causam proximam marcorum fere omnium. Eam autem causam quum negasset *Philippus* Caesareensis, balnea etiam damnavit. Uterque tamen errasse, alterum errore circa internum statum, alterum ob praecipua scholae, arbitrator. Etenim balnea tepida omnino expeditissima praesidia fiunt ad teneritatem fibrarum tollendam. Magnopere profunt ad tenfas partes molliendas et lubricandas et ad restituendam regularem partium actionem. Hinc *Marcardus* diserte monet, balnea esse commendanda in febribus hecticis, quoties pulsus, ut solet, frequentior est et durior <sup>11)</sup>. Imo *Tissotus* nonnunquam solis tepidis balneis et lacte vaccino tabem, quae jamdiu morata fuerat, fugavit <sup>12)</sup>.

Praeter balnea ipsa adhibenda etiam sunt balnea vaporaria, vel naturalia, quae ex animalibus recens mactatis petuntur, quibusque partialis marcor tolli aut saltem levare potest; vel artificialia, qualia *Marcardus* describit <sup>13)</sup>, quaeque in senectute ipsoque marasmo praevertendo insignem habent usum.

## 29

Ad diaetetica reliqua praesidia pertinent aeris salubris, sereni usus quotidianus; motus corporis modicus, qui

<sup>11)</sup> Ueber den Gebrauch der Bäder S. 196.

<sup>12)</sup> Essai sur les maladies des gens du monde p. 133.

<sup>13)</sup> Medicin. Versuche, S. 72.

qui vel deambulando vel curru instituitur. Mirum profecto est, quantum profit ejusmodi motus quotidianus ad servandum vigorem in extrema senectute et ad praevertendos marcores. Plurimi enim senes, qui infuetum vitae terminum attigerunt, id moris semper servasse feruntur, ut quotidiano motu corpus exercerent.

Studendum praeterea est, quantum fieri potest, ut animi quies nullis adfectibus perturbetur, sed sibi ipsi semper constet. Multa enim victis vitia innocua esse solent, si animi quies illaesa servatur.

30.

Quod victum attinet, leviter nutrientia praecipuis commoda sunt, maxime lac muliebre, quo nihil praestantius esse potest, praecipue quidem, si quis mammam muliebrem ore ipse apprehendens ipsum mulgere potuerit, sicut *Euryphon* et *Herodicus* in phthisi quacunque praecipisse dicuntur. Sin minus, afininum saltem lac capiat adhuc calidum, quodque breve per tempus ambeunti aeri fuerit expositum.

Ova quoque recentia; limaces et gelatina animalium, caro iuniorum bestiarum, maxime alitum sylvestrium; deinde fructus horaei, radices dauci, sisari, pastinacae, et petroselinii, herbae scandicis cerefolii, aliaeque id genus leviter nutrientia, aperientia commodissimum sistunt cibum.

Vitanda tamen quaevis calida, vinosa, spirituosa, aromata aut alia, quae sanguinis motum accelerant, et  
ner-

nervorum tensiones adferre possunt. Hinc non credo, vini usum commendandum esse iis, qui non adfueti sunt: quodsi vero consuetudo praeceperit, modicus vini usus concedendus est, non imperandus.

## 31.

Quae ex officinis petuntur auxilia, pauca sunt. Cycae circinalis medulla quam *Sagu* vocant; bulbi orchidum, quos *Saleb* dicunt; *Lichen islandicus*; ea fere totum medicaminum apparatus sistunt, quae contra marasimum senilem incipientem militare possunt. His addenda sunt roborantia stomachica, dum ventriculus atoniam patitur: *Quassia*, *glandes quernae*, *taraxacum*, *trifolium fibrinum*, *centaurea benedicta*, *fumaria* etc. quae quomodo exhibentur, cuius notum est,

## 32.

Ubi vero morbus eo usque progressus fuerit, ut soporosa febris accesserit, nil fere molendum est. Cortex saltem peruvianus febrem vehementer exasperare solet, isque malus effectus etiam de aliis irritantibus et tonicis remediis observatus est. Vesicatoria forsitan plurimum praestabunt, nuchae apposita, dum revulsionem de capite producent.

Gangraena vero in extremitatibus oborta requirit topicam corticis applicationem, si nullus adest sensus; incisiones; aliaque irritantia; internum denique usum opii, moschi et salis cornu cervi.

THESES.



---

T H E S E S.

---

I.

Haemorrhagiae non semper sunt suppressendae.

II.

In febre biliosa graviore sedantia, non vomitoria  
indicantur.

III.

Febris nervosa non genus, sed species februm est.

---

IV.

Natura hysterici et hypochondriaci morbi una  
ac eadem est.

V.

Dysenteria non est morbus simplex.

---

I  
Hämorrhoidale non tenax sunt suppurandae.

II  
In febre bilis graviter febrius non vomitibus

III  
Febris nervosa non gendit sed species febrium est

PICA





(81)

SPECIMEN  
INAUGVRALE MEDICVM  
DE  
MARASMO SENILI,

QVOD  
CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE  
HALENSIS,

GRAD

VIRO M

ACADEN

PHIL

REG. BO

PROFESS.

JOA

TYP

